



L
JOANNIS HÖFERI

Ad Censuram

CONTRA IPSIVS
VOCATIONEM AD ECCLE-
SIAM A CHRISTOPHORO BULÆO
EDITAM

RESPONSIO.

Psalm. 4. 3.

Filij hominum usquequo gravi corde? ut quid
diligitis vanitatem & quæritis mendacium?



Cum facultate & permissu Superiorum.

VIENNÆ AVSTRIÆ,

Typis Michaëlis Rietij, ad Lubecam, ANNO M. D C. XXXIII.

M. M. Prelio Scholæ

JOHANNIS HOFERI

Ad Confessionem

CONTRACTA IPSIVS
VOCATIONEM AD ECCLIE
SIAM A CHRISTOPHORO BULFEO
EDITAM

RESPONSIUM

**Gaude Virgo MARIA, cun-
ctas hæreses sola interemisti in
universo Mundo.**



Cum facultate & permissu Superiorum

WILHELMUS GASTRIER

Typographus Regius & Silesiacus Anno M.D.C.XXIII.



Ccipio demum hisce diebus, mi *Bulæ*,
tuam contra me invektivam; eamque,
ut video, Anno 1631. sub initium no-
vi anni, quo ipso *Sirius* hæreticus, licet
brumali tempore, *Wineckerum* & alios
adversos me inflammavit, editam.:

28. Junij
1633.

Idem argumentum, eandemq; *Wineckeri* cramben reco-
quentem; ex eodem maledicentiæ lexico fabricatam, eo-
rundem planè *Doctorem* patrociniâ ambientem; in pro-
gressu pro rebus verba, pro argumentis nugas, pro verita-
te mendacia & crimina falsi reponentem: In eo duntaxat
diversam, quod ubi *Wineckerus* octavum calumniandi
gradum se attigisse putat, *Tu* infra summum subsistere de-
trectes.


Quid faciam tecum, *Bulæ* in *Wineckero* jam ante
biennium victæ & prostrate? Cum enim eodem, quo *Wi-
neckerus* & *Rivander*, anno: & eodem anni tempore, sub
eorundem Theologorum censurâ; in eadem materiâ;
ijsdem maledicentiæ argumentis, bilem tuam contra me
evomueris, cur mea *Te* piscem effecit apologia, *Wineckero*
& *Rivandro* ante biennium opposita?

Mira res! Insurgunt, ut dixi, simul & semel tot, qui
dilataverunt super me os suum: *Wineckerus* emissis in me
libidinosi furoris jaculis insanit! *Rivander*, qui Græcolari-
ni nominis hermaphroditicâ fictione, germanicâ *BACH-
MANNI* togam, cum infami *Pasquilli* propudio commu-
tavit,

1001. 82
1033
tavit, famosæ chartæ editione rabit! *Bulæus* frendet! *Em-
meerlingius* minarum tela fabricat! *Censura publica* videt
& ridet: laudat & patrocinator! Et tamen ad unicum re-
sponſionis meæ ictum, à *Wineckero* & *Rivandro* exceptū,
ecce, resiliunt omnes, ad instar bestiarum, quibus dentes,
dum mordent, eliduntur!

C A P V T I.

CRAMBE VVINECKERI, A BVLAEO
iterum apposita.

 Vid tandem enervate *Bulæe*? Tuam nē cramben,
quam in *Wineckero* ad silentij fugam prostitui,
resumam? Vtriusque enim labor, si in iudicij
recti alembico resolvatur, ad duas insipidarum
fæcum massas substantialiter reducetur. *Quarum priorem*
meæ personæ ob proditum officium, ob mutatam ex am-
bitione religionem, ob susceptam proprio instinctu refu-
tationem *R. P. Mayeri*, &c. mendaciter obijcitis. *In postero-*
ri non minus incredibili mentiendi & calumniandi libi-
dine, quoddam controversiarum chaos miscetis. Quid,
inquam? Hanc tuam, *Bulæe*, cramben hîc resumam? Ab-
sit! carius constat tempus.

De priore videas meæ apologiæ paginas primas sede-
cim, ubi mendacia, calumnias, & vanitates, quibus ad fa-
mæ meæ exinanitionem utimini, retundo: & hoc dilem-
mate paucis repeto.

Aut vera sunt, quæ partim Tu *Bulæe*, partim Tu *Wi-*
neckere de me scribitis, *aut falsa*:

Si vera; vestri Præceptores, Patroni & Theologi, pu-
blici

blici erunt deceptores, impostores, mendaces, Luciano non meliores, Triobolares iudices, Veritatis obscuratores, Judæi, Scarabæi, & similes (qualia Epitheta chartæ vestræ contra dicenti minantur) Contrarium enim testantur, ipsorum super hac re ad me transmissæ litteræ, fide publicâ ex originalibus transumptæ, & pag. 11. 12. 13. 14. à me citatæ;

Si falsa sunt, proclamo vos duos scriptorculos (Te intelligo Bulæum & Wineckerum) tantò majores esse deceptores, impostores, calumniatores, mendaces, mille Lucianis pejores (utpote famæ innocentis aggressores) quàm minores estis in comparatione ad eos Viros, quos tanquam patronos vestros veneramini. An hoc dilemma taciturni deglutietis videbo. Quod incivilitatis notam me incurrisse dicas, ob mutationem meam citiùs non significatam, non perpendis, legem civilitatis non adversari legi prudentiæ, per quam prius me prodere non potui, quam possibilitas moralis, pro Hic & Nunc permittebat: Sat citò, *Bulæe*, si sat benè & securè.

De posteriore, videas reliquas meæ responsionis paginas; & in specie; de Justificatione primâ & secundâ pag. 17. & 20. de pœnitentiæ Sacramento p. 27. De meritis B. O. p. 28. 29. 30. De infallibilitate Ecclesiæ universalis p. 32, De illimitatâ hujus privilegij promissione p. 34. De monstruosa illâ abstractione Ecclesiæ Papisticæ, in quantû Christi & Antichristi est, p. 50. 51. De purgatorio, p. 37. 38. 39. 40. De Communione sub Vnâ, p. 40. De invocatione Sanctorum p. 42. 36. De Traditionibus, p. 35. 36. 45. De Interpretatione & sensu Scripturæ p. 45. De Antichristo, p. 49. De Vocatione & sanctitate Lutheri, p. 52.

Ecce,

Cautè violati Juris jurandi me non accusat.

Ecce, mi *Bulee*, horum resolutio vobis incumbit; sed confusio vos isto biennio & surdos & mutos effecit. Pudeat *hos thraones academicos* tam miserè subsistere: In principio *leones*, in fine *lepores*.

C A P V T II.

Quid præter hanc Cramben in Bulei centone restet?

Nihil aliud: nisi *Vanitates: Nugæ: Contradiçiones: Obstinata mentis argumenta: Mendacia: Calumnia: Crimina falsi.*

Obstupui, dum legi: & visus mihi fuit *locusta Apocalyptica* anatomiam instituere, dum ipsius centonem resolvebam: Verè ita est: *Locustarum una est Buleus*, ex fumo putei ascendens, Apoc. 9. *Cui facies blanda, sicut hominis; cauda aculeata Scorpionis: in ore dentes leonini contradictionum, detractionum, mendaciorum, calumniarum, criminum falsi: Pectus lorica ferrea obstinationis armatum: Ipse verò angelus abyssi: hebraicè Abaddon, gracè Apollion, latinè Exterminator.*

Horum omnium adæquatum specimen proponere, esset singulas *Bulei* lineas ad amissim describere: Depromam cum bonâ veniâ lectoris duntaxat genera singulorum. Idque sine injuriâ *Buleo* inferendâ: Si enim ipsi licet Ps. 56. notas Antichristi ex scriptura apocalyptica (hæretico spiritu intellectâ) sub pallio calumniatricis experientiæ ad Romanum Pontificem accommodare, nec mihi succensebit, si ex eadem Scriptura Apoc. 9. licitâ accommodatione, *Buleum-Locustam Apocalypticam* non vocavero saltem sed & ex libro suo manifestè ostendero.

CAP.

C A P. I I I.

Fucus Amicitiae.

TAm blandam faciem mentitur *Bulæus*, ut juraret lector, *Damonem agere cum Pythiâ*. Ego, inquit, precipue fretus religione amicitiae, quam tot annos intemeratè coluimus eò deveni fiducia, ut sperem, tibi non fore nolenti, si quid (in tua historia) desideretur, candidè, amicè ad Te mittam, &c. ut in monendo expleam munus amici boni & fidelis. Nec dubito, quin has pagellas ab amico & commilitone studiorum tuorum ferè perpetuo ab sincerissimo, solo salutis tuae desiderio perscriptas, sis faventer accepturus, &c. (in quibus) cavillationes & mendacia procul esse volui, contentus rem ipsam docere, &c. O *Bulæe*, facies tua sicut facies hominis, & capilli sicut capilli mulierum: Locusta es, quod jam patebit.

*Facies b'ia-
da sicut
hominis.*

p. 17.

p. 21.

C A P. I V.

C O N V I T I A.

Quis est verò, qui me amicissimè tractat? *BVLÆVS*: *Candæ Scorpionis*
Cui sum homo insubidus, invenustus, ridiculus, miserabilis, ridiculum caput, &c.

p. 16. 19.

Cum quo intemeratam amicitiam semper coluit Bulæus?

Mecum, contemptore professorū: intento monstris philosophicis, hæcceitatibus, Istitatibus: Conceptuum novitate gaudente; Vincendi libidine laborante, &c. Theologiae quæstionariae, scriptura neglecta, insudante; & philosophia in Theologia abutente, &c.

p. 21.

22.

23.

24.

Erga quem candorem suum, amico dignum, hic exercet Bulæus? Erga me, quem vocat lupum, draconem, malignitatis dentes habentem, asinum, Bonasum, convictorium sartorem, &c.

p. 30.

89.

90.

Quid

p. 21. 22.

Quid mihi obiicit? Quod non sapuerint Theologorum commenta (caro & sanguis tibi hac non revelavit !)

p. 20.

Quid dolet huic meo amicissimo & sincerissimo amico? Quod nec vitæ maculam nec commissæ turpitudinis notam, quod nihil capitale, nullam infamiam, nullum scelus mihi obiicere possit.

DEO gratias, pro his omnibus, mi *Bulæ*: Et verum est, quantum ad hoc ultimum punctum attinet, à me nec scortari, nec græcari, nec stratagemata se à sponso zelotypo in cubiculo defendendi, didicit *Filius Prædicantis Kôtschenbrodensis*.

Matth. 5.
11.

Quod oscula tuorum amicissimorum convitiis spectat, verè illa tibi condono: Et mihi quidem de mea felicitate gratulor (*ex illo: Beati estis cum maledixerint vobis, &c.*) Tibi autem summoperè condoleo, qui hac retorta Scorpionis cauda aculeos istorum convitiis, tibi maximè infigis. *Aut enim amicus mihi es, quod tu ais: aut inimicus: Si inimicus, mendacissimus es, qui te amicum toties in hac scriptione mendax profiteris: Si amicus, cogita quomodo horum convitiis veritatem tua declinare possit conscientia! An non noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se? annon teste Aristotele, amicitiam morum & actionum æqualitatem supponit? Qui *Bulæ* nosse desiderat, eos, quibuscum tot annos familiarissimè vixit, inspiciat. De mea tecum & cum alijs habitâ conversatione, plus non possum dicere, nisi hoc: *Ami-**

cus vobis fui, sed usq; ad aram.



CAP.

Vanitates & Nugæ BVLAEI.

Fumus p[er]
rei.

Fumus vanitatum tuarum ascendit ex libro tuo, *Bullee*, sicut *fumus fornacis magna*, Apoc. 9. ex quo obscuratur apud te Sol veritatis, & aër omnis nitoris theologi: Quid dicam? Totus liber *vanitas vanitatum est, & omnia vanitas!* depromo ex infinitis paucissima exempla.

Quid nugacius, quam p. 41. ad funditus destruendum purgatorium, uti auctoritate *S. Augustini*: (quomodo?) Eò quod agnoscat illud interdum, nec omninò reijciat, aut de eo ad minimum dubitet?

Quid inanius, quam ad evincendum Catholicorum dissensum in rebus de fide certis, adducere loco exemplorum dissensum in rebus, quæ nondum sunt de fide, ut nugatur *Bulæus* p. 38. 59.

Prorsus stramineæ sunt ipsius *Paginæ* 45. 46. 47. 53. 54. quibus differens de auctoritate Ecclesiæ & PP. in interpretandâ Scripturâ, videtur nec quid ipse dicat, nec quid doceamus, intelligere:

Quid absurdius illo principio pseudo-theologico, quod p. 66. ponit. Experientia, qua Lutherani accommodant notas Antichristi ad Pontificem Rom: potest conciliare certitudinem ad fidem requisitam? Ignorat formalia fidei divinæ *Bulæus!* sexcenta alia, quibus omnes *paginæ*, omnes ferè *linæ* scatent, fastidit calamus meus assumere, & lectori nucem vomicam apponere: qualia sunt: *Questio ridicula*, quoties Biblia perlegerim! *Nugacissimi syllogismi* ad probandam fidem Lutheranam! *Vanissima depulsio* hæresium, quibus eorum Ecclesia (tanquam cornicula horatiana suis plumis) superbit, &c. Mitto

p. 24
81.
87.

B

hæc

hæc omnia : Nullus ad Lectorem inde profectus, nisi ingenij tui, *Bulæi*, detectio.

C A P. V I.

O B S T I N A T I O.

Pectus loricâ ferreâ armatum.

E Gregium specimen videt Lector p. 86. ubi alludit ad quandâ meâ Epistolam, in qua tria tantû Lutheranis propria dogmata mihi demõstrari petij, quæ ab unico homine ante Lutherum SIMVL DOCTA & CREDITA fuerint : vid ; *Ubiquitas ; Actualis fides Infantum ; & Consubstantiatio.*

DEVM immortalem, quomodo torquet se obstinatum pectus, quærens hinc inde exitum & non inueniens ! Convictum se videt : *Veritati cedere recusat* : Perpetuæ existentia Lutheranae fidei (quam omnes eorum libri crepant) documentum postulo ; *& denegatur* : Necessitas patet, *sed non agnoscitur* : Trium duntaxat punctorum simul factam assertionem rogo ; *& silentium historicorum accusatur* : Unius tantû hominis, ante Lutherum viventis nomen desidero, *nec dari potest* : Ad historias, ad annales, ad retro acta secula provoco ; sed ad testandam impossibilitatem *forum hoc declinatur* : uno verbo : *Victus & convictus Buleus* de novitate centenariæ suæ religionis, pertinax hæresin defendere, quam veritatem humilis amplecti mavult : En pectus loricâ ferreâ armatum ! Obiter hîc admirandam *hereticorum* miseriam noto ; Illos, qui annalium helluones esse volunt, etiam rogatos, tamen per mille sexcentos annos, in omnibus 4. mundi partibus non unicum posse invenire orbis incolam, qui tres duntaxat dictos articulos (quibus Lutherani ab alijs sequestrantur) asseruerit : hem pudorem !

C A P.

CAPVT VII.

CONTRADICTIONES BVLAEI.

Videtur *Bulaeus* *Cadmæus* esse frater, adeò nemini parcat: nec suo generi, nec sibi propitius: *Propono specimen:*

Pag. 40. concedit haberi dicta scripturæ de perpetua conseruatione Ecclesiæ, & de aliquibus fidelibus semper permanfuris in fundamento fidei: Et tamen fieri posse, ait ibidem, ut Ecclesia vocem Spiritus sancti nō audiat.

Ibidem: Semper futuri sunt aliqui fideles in fundamento non errantes.

Contra ibid: Exempla, inquit, omnium temporum evincunt Ecclesiam prolapsam esse in errores fundamentales:

Pag. 53. Ecclesiam primorum quingentorum annorum pro vera habemus.

Contra mox addit: Non paucos errores istis seculis à quibusdam P.P. seminari cepisse.

Pag. 49. Præscribit pro eruendo Scripturæ sensu operosa media.

Et tamen p. 58. Tam claram esse ait Scripturam, ut ex eius claris verbis Spiritus sancti volūtas & sensus agnosci possit. Sciens plures crudelitates, quibus in seipsum, sævit, prætereo.

Sed nec *Wineckero* parcat; quem tamen socium in hac contra me arena delegerat: Affirmante *hoc*, negat *Bulaeus*: Negante *isto*, affirmat *ille*: ex: gr.

Pag. 16. ait Wineckerus, Verbum *Iustificari*, significare idem, quod absolvi à reatu culpæ & poenæ (manente culpa & vitiositate) *Contra Bulaeus p. 30.* significare ait (simul) absolvi à culpa & poena:

p. 72. ait *Wineckerus*; Interpretationem Scripturæ,
p. 57. quæ fit ab Ecclesia Lutherana, esse fallibilem: *Bulaeus contra*, dicit esse infallibilem. Deniq; (quod de suæ ætatis hæreticis scribit *Socrates* in hist. Eccl. l. 5. 10.) *Consentiens illorum malitia, velut lingua veterum gigantum divisa est: & turris perdita molitionis eversa:*

C A P. V I I I.

MENDACIA: CALVMNIAE,
Crimina falsi.

*Abaddon
& Apol-
lion.*

His pustulis adeò nitet scabies hujus philippicæ, ut ulcerosis hisce unionibus tota ferè incrustata videri possit: detegam, (ne Lectori stomachum moveam) ex multis paucos:

Catholici docent, ait *Bulaeus* p. 36. quòd homo ita se debeat præparare ad Justificationem, ut DIGNVS fiat applicatione & communicatione meritorum Christi: *Calumnia.*

Versutiloquentia est, ait pag. 29. quando docent, hominem peccatorem, remissionem delictorum sitientem, omninò gratis sine ullo opere, neque fide, ut opere considerata, sed tantum, modo meritis Christi in poenitentiae Sacramento applicandis, justitiam acquirere: *Calumnia!*

Impostura est cum docent ex parte hominis justificandi nihil aliud requiri, quam ut incredulitate, diffidentia, impoententiâ, &c. DEVM justificare volentem, non impediât: sed credat, peccata agnoscat, doleat: &c. Quin imò hanc doctrinam adeò alienam esse ait à mente Catholicorum, ut si ita revera crederent, non Catholici, sed Lutherani essent, p. 32. *Calumnia!*

Di-

Dissensus Si qui est Catholicorum, in articulis fidei est: p. 67. Catholici docent, opera habere vim merendi in sua substantia & dignitate naturali fundatā, p. 38. *Calumnia.*

Docent Ecclesiæ Judicium esse CERTIUS ac clariùs quàm ipsius sacrosanctæ Scripturæ, p. 62. *Calumnia.*

Consecrationem olei & benedictiones aliarum rerum quoad efficaciam & religionem convenire cum baptismo, p. 79.

Conciliorum auctoritatem prævalere Scripturæ auctoritati, p. 78.

Proinde & potiozem habent Ecclesiam, quàm Scripturam, p. 55.

Transeo ad alia infinita, quæ non nostra dogmata, sed *Bulæ* & *hereticorum* mendacia & calumniæ sunt.

Et hæc quidem leviora essent, si non in grandiora hujus *Exterminatoris Apocalyptici* prorumperet execrabilis audacia, qua ad hæresin palliandam Patrum, & aliorum authorum, nec non Conciliorum scripta, quæ allegat, vel depravat & mutat, vel quæ nunquam scripta sunt, mendacissimo stylo, in æternum fidei Lutheranae opprobrium aliquibus affingit: & quod horribile dictum, ipsi etiam *Sacrosanctæ Scripturæ* violentas manus sacrilegus inferit. Profero exempla:

p. 69. *probaturus*, quod Antiquitatis auctoritas in materia de totali everfione Imperij tempore Antichristi, à nobis non admittatur, allegat *Bellarminum* li. 3. de Rom. Pont. c. 12. & affingit hæc verba: *Quæ à Patribus hac in causâ asseruntur, etiam cum magno consensu, probabilia tantum sunt, non autem certa, nisi ex Scripturis possint demonstrari.* Apertissimum crimen falsi; I. *Bellarminus* in hoc capite 12.

te 12. nec unico apice meminit Romani Imperij; multo minus totalis ejus everfionis, sed per totum disputat de generatione Antichristi. II. Nullibi inveniuntur hæc verba: *Quæ à Patribus hac in causa etiam cum magno consensu afferuntur; affinguntur Bellarmino à Bulæo.*

p. 41. *Ait S. Augustinum lib. 21. de civ. Dei c. 13. ex Scripturis expressè contra Purgatorium disputare: Aper-
tissimum mendacium: Legi caput totum: Tantùm abest, ut Augustinus contra illud disputet, ut etiam firmissimè, & expressissimè id ibidem asserat, & Catholicam hanc doctrinam ab aliquo errore Platoniorum, quem circa rationem poenarum post mortem infligendarum fovebant, vindicet: Audi, Bulæe, unicum duntaxat textum hujus capituli: Temporarias autem poenas, ait S. August. alij in hac vitâ tantùm, alij post mortem, alij & nunc & tunc, veruntamen ante judicium illud severissimum novissimumq; patiuntur: Quid clarius? Et tamen ut de calculo S. Augustini contra Purgatorium gloriari possit Bulæus, affingit ipsi in hoc capite, cujus contrarium expressè ibidem docet: Erubescere debebat stylus tuus, Bulæe, quia Tu non poteras, cum hæc scriberes.*

Porro ut ex D. Paulo patrocinium mendicaret, pro absurdo illo errore, vid: *Judicium infallibile interpretandi Scripturam omnibus hominibus (etiam Laicis & imperitis) à D. Paulo esse demandatum, citat p. 76. hæc verba (sinetamen designatione loci specialis) JUDICATE IPSI QUÆ SCRIBO: Investigavi locum beneficio concordantiarum: in nulla S. Pauli Epistola habetur: Lego quidem 1. Cor. 10. 15. hæc verba: Vos ipsi judicate quæ dico: & 1. Cor. 11. 13. hæc: Judicate ipsi: sed quia ad Scripturam commodè trahi non*

non

non poterant, ideò non erant ad palatum Bulæi: sacrilegâ ergo mutatione vel fictione ponit ita: *Judicate ipsi quæ scribo*: Et ne crimen falsi deprehendatur, locum ubi extent, omittit.

Sed hæc omnia adhuc aurea sunt; Abominabile est quod sequitur; Deerat *Bulæo* calumniæ prætendendæ argumentum, quod doctrina Ecclesiæ Catholicæ pugnet cum Euangelio; quid facit? perexecrabile scelus p. 40. affingit *Patribus Concilij Bononiensis*, quod Anno 1553. ad *Iulium III.* hæc verba scripserint.

Deniq; (quod inter alia consilia, quæ nos hoc tempore dare possumus, omnium gravissimum ad extremum reservamus) oculi hîc aperiendi sunt, omnibus nervis annitendum erit, ut quam minimum Euangelij poterit (præsertim vulgari linguâ) in ijs legatur civitatibus, quæ sub traditione ac potestate sunt; sufficiatq; tantillum illud, quod in Missa legi solet, nec eo amplius cuiquam mortalium legere permittatur: Quamdiu enim pauculo illo homines contenti fuerunt, tam diu res tua ex sententia successere; eademq; in contrarium labi cœperunt, ex quo ulterius legi vulgò usurpatum est: Hic ille (in summâ) est liber, qui præter cæteras hæc nobis tempestates acturbines concitavit, quibus propè abrepti sumus. Et sanè si quis illum diligenter expendat, deinde quæ in nostris fieri Ecclesijs consueverunt, singula ordine contempletur, videbit quamplurimum inter se dissidere, & banc doctrinam nostram, ab illa prorsus diversam esse, ac sæpe contrariam etiam: Quod simul atq; homines intelligunt, à docto scilicet adversariorum nostrorum stimulati, non antè finem clamandi faciunt, quam rem omnem planè divulgârint, nosq; invisos omnibus reddiderint: Quare occultanda paucula illa chartæ erunt, sed adbitâ
quæ-

quadam cautione & diligentia, ne illares majores nobis turbas
ac tumultus excitet.

Bonum & immortalem Deum! quid non audeat hæ-
retica pravitas? Sanè si nihil aliud esset, quod ad gratias
immortales DEO agendas meum ad Ecclesiam reditum
stimularet, aliorumque ex vestra Babylone egressum ma-
turaret, hæc effrenata mentiendi libido sufficeret! O in-
fanum calumniandi hippomanes! Extant acta Concilij
Bononiensis; Cedo, qua Sessione, quo capite, quo Cano-
ne, quo Decreto, quibus ad Pontificem literis hæc scri-
pserunt Patres! Nullibi! Ficta & reficta hæc sunt hæreti-
corum mendacia: Abhorrent ab his libidinosis calu-
mniandi titulis omnes Catholicorum aures! obstupe-
scunt calami! Omnes hæc mendaciorum ludibria dete-
stantur conscientia! Et à Te hæc nobis affingi! *Nec satis
bac*: Voluit justissimus DEVS permittere, ut ipsa verba,
quæ mendaci ore *Buleus* effudit, etiamnum calida, & jam
prolata, *Buleum* falsatorem & calumniatorem evinceret:
Ecce enim ut à Patre mendaciorum hæc verba ipsi sugge-
sta esse demonstret, dicit, hanc Epistolam scriptam esse
Anno 1553. Atqui hoc *anno 1553*. *Concilium Bononiense*
nullum erat; sed fuerant jam Patres iterum Tridentum
revocati: Constat enim Anno 1547. translatum fuisse
Concilium Tridentinum Bononiam versus; Et Anno
1551. Bononiâ iterum reductum Tridentum: Quomodo
ergo *Concilium Bononiense* eo anno, quo non amplius erat,
ad Pontificem scribere poterat.

Porro (ne deesset *Buleus* partibus publici decepto-
ris) addit, *ibidem*, hanc Epistolam perscriptam esse *Anno
1553. ad Iulium Papam III*. Novum mendacium! Hoc
enim

enim anno non amplius in vivis erat *Julius III.* sed jam dudum ipsi *Paulus IV.* successerat.

Nescio quid sit calumniatorum more agere, si hoc non est: O injustissimi famæ alienæ corruptores, *Salomonis feralem* timere sententiam: *Abominatio est Domino, labiam mendacia. Qui mendacia loquitur, non effugiet: Os quod mentitur, occidit animam.* *Prov. 12. & 18. Sap. 1.*

A P P E N D I X.

Continens unicum argumentum, toti Bulae labori; & totius Lutheranismi medulla, si quæ est, oppositum.

H Actenus scripti Tui anatomia, *Bulae*; Si stomachaberis, tuis quisquilijs directè à me non satisfieri, cape unicus argumenti mucronem, qui uno ictu tuarum controversiarum primum vivens perat, & totius vestræ opinisticae religionis (studiose utor helleborosâ voce ad evacuandum mucidi grammaticastri cerebrum ex voce *SUBLIMATUS* etiam sternutantis) cor transfigat.

Illud est: Tantùm vos credere, quantùm Scripturæ sensus, quem vos posse infallibiter eruere jactatis, credendum dicitur: Ex eo fonte omnes vestras opiniones & errores emanant.

Hoc principium Vobis præripio, & dico: Neque Te, qui in hoc tuo centone multa de fidei mysterijs nugaris: Neque vos omnes, qui ceu ignes fatui in hoc controversiarum campo oberratis, ullum locum infallibiliter intelligere, imò quod majus est, à vobis nec ullum mysterium revelatum fide divina credi: Id probo:

Tota vestra ratio eruendi Scripturæ sensum (ex quo formati

C

matis

matia vestra fidei articulos) in hoc consistit, ut tertia vestra
mētis operatio aētualiter applicet media ad id ordinata (qualia
sunt antecedentia, consequentia, loca similia, & pbrasis lingue
originalis) Sed tota hęc ratio fallibilis est, & fidei divine cer-
titudinem attingere nequit: Ergo & vestra fides, qua huius fun-
damento superstruitur.

Hanc nucem toties vobis huc usq; frangendam ob-
jeci: Höpffnero, Wineckero, & alijs: quā publicē, quā priva-
tim: sed abhorretis ab illā, tanquam à præsentissimo toxi-
co, cum tamen nondum erroris in actu secundo, sed tan-
tūm in actu primo convincat: *Mirares!* Intra duos vel
tres annos non digerere pilulas unius argumenti: signū
est vel debilis vel malitiosi stomachi: rogo vos adhuc an-
te faciem totius mundi, aut argumento solidam respon-
sionem, aut DEO gloriam & vobis vestram salutem non
invidete. Quid desideratis in eo? *Major* desumpta est ex
vestrā Confessione, quam etiam *Bulæus* confirmat p. 49
Ubi hæc tria distinguit: I. *Scriptura sensum* investigandū.
II. *Media investigandi*, ut Antecedentia, Consequentia,
&c. quæ dicit esse divina. III. *Horum mediorum aētualem*
applicationem & usum; & hunc tribuit tertiæ mentis ope-
rationi: quid clariùs?

Minor patet: Annon fieri potest, *Bulæe*, ut Intelle-
ctus vester in applicatione horum mediorum erret, aut
ὕστερον πρότερον committat, aut laboret insufficiente cogni-
tione linguarum? Responde breviter: *Si potest*, habemus
quod volumus: *Si non potest*, quare potuit errare, & de fa-
cto erravit ex vestrā sententiā Intellectus Tubingensium,
in Materiā Ubiquetaria: aut vester ex sententiā illorum?
Si non potest, unde tot lites, tot bella, tot opinionum in-
cendia in vestris Synagogis? *Et con-*

Et confirmatur à priori: Dic enim, unde & à quo lumine intellectus vester humanus, qui harum consequentiarum architectus est, istam infallibilitatis gratiam habeat? *An à lumine naturali?* sed sic contradicis. 1. Regio Psalmistæ Psal. 115. *Omnis homo mendax.* 2. Tuis Præceptoribus, qui & ipsi docent hoc lumen valdè esse debilitatum post lapsum: 3. *Experientiæ*: Sic enim omnes naturaliter veritatem infallibiliter intelligeremus: nec sic ego Catholicus, tu hæreticus esses: *An à lumine habitus Logici?* Sed sic errandi pericula non adimis: præterquam enim, quod canones logici sint rivuli ex lumine naturæ deducti, quot insuper sunt hæreses apud vos in doctrinâ logicâ: Hic Ramista est; ille Kekermanista; Iste peripateticus; qui omnes canones logicos diversimodè & explicant & applicant? *An à lumine supernaturali & speciali Spiritus sancti assistentiâ*: sed hanc nulli hominum absolutè promissam esse dicis, pag. 40. sed saltem conditionatè: Verùm hoc dicendo gyras circulum: Tunc enim certitudo infallibilitatis dependet à certitudine expletæ à vobis conditionis, quarum una tam incerta est, quàm altera: cum nullibi, an conditionem ritè impleveritis, revelatum, à Deo legatis.

Confirmatur II. vestrâ praxi ad oculum: Quæro ex Bulæo, quis sit sensus Verbi *Justificare* Rom. 5. *Respondet* p. 30. eam vocem habere forensam significationem, & significare idem quod *Justum habere*: non *justum facere*: Quæro an hoc infallibiliter sciat? *Respondet* pag. 51. se non opinari, sed hunc sensum esse Spiritus sancti, se infallibili certitudine planè scire: Quæro ulterius; Unde hoc tam certò sciat? *Respondet* ibidem: Ex ipsis Spiritus sancti ver-

bis: *Quæro, Quibus? Respondet* p. 49. Ex Antecedentibus, Consequentibus, locis similibus & ex phrasi Spiritus sancti. *Quæro, Unde de his tam certus sit? Respondet* ibidem, p. 49. Ex suâ applicatione actuali mediorum ad istum locum scripturæ: dum videl. tertia ipsius operatio mentis discurrendo confert loca similia. antecedentia, consequentia, perspicit etiam vim phraseos, græcæ & hebraicæ. Et quidem quod in specie ad eum locum spectat Rom. 5. adducit p. 30. duo loco parallela Esa. 43. 25. & Ezech. 36. 25. *Ibi* vocem Iustificare declarari ait per τὸ delere iniquitatem: *Hic* per τὸ Mundare ab iniquitatibus: *Quid hoc discursu* consequitur *Bulæus? Respondet*, ut antea p. 49. Infallibilem certitudinem fidei, hunc & non alium esse hujus vocis sensum, à Spiritu sancto intentum.

O magnam hujus plebeculæ miseriam: sicine hæc ratio est, *ô Lutherani*, per quam à vero sensu Scripturæ aberrare vobis impossibile est? En, *Bulæe*, iisdem vestigijs insistam, & contrariam significationem melius quam vos eruam: attende: *Quæris* ex me; *Quis* Sensus sit vocis *Iustificatio* Rom. 5. 18. Dico ego; Verbum Iustificare significare idem quod Justum facere, justitia verè inhærente, & peccato penitùs sublato. *Unde scio?* Ex verbis Spiritus S. *Quibus?* Ex Antecedentibus, Conseq: locis similibus, & natura phraseos. *Quomodo?* Applicando hæc omnia per meum discursum ad datam Scripturam: e.g. 1. *In Antecedentibus* video antithesin Adami cum Christo: sicut ergo per inobedientiam Adami multi peccatores constituti sunt, peccato verè inhærente: sic per obedientiam Christi, multi justii facti sunt, Justitia verè inhærente. 2. *Idem* suadent consequentia: *Quid* enim notat Justum constitui

tui

tui aliud, quàm justum fieri. 3. *Idem* arguunt loca similia,
& quidem eadem, quæ Tu pro Te adducis Es. 43. 25. & E-
zech. 36. 25. Ubi enim *deletur iniquitas*, ibi non tantum nõ
imputatur, sed & *tollitur*: Et ubi *mundatur* quis ab iniqui-
tate, tunc non tantum poena tollitur, sed & *macula*. 4. *Con-*
sidero naturam vocis 1. latinæ: Justificare enim est idem,
quod justum facere: 2. græcæ: Apoc. 22. 11. verbum
δικαιωθητω non potest habere tantum forensem signifi-
cationem. 3. Hebraicæ. Dan. 12. 3. verbum Matsdikim Itẽ
Es. 53. 11. verbum Jatsdik non potest trahi ad forensem
significationem: ut probat Bellarm. lib. 2. de Iust. cap. 3.
Concludo; Ergo Verbum Iustificare Rom. 5. significat ve-
rè aliquem justum facere, non tantum justum reputare.
Hæc interpretatio tuæ contradicit; & tamen tuæ sequitur
infallibilitatis vestigia; *Dic jam, utra certior?*

Sed tamen, dicis p. 49. & Iesuitæ hunc modum eruen-
di Scripturæ sensum laudant & exercent: Resp. sed non
ut propositiones fidei (quod vos stultè facitis) verum
conclusiones theologicas legitimo discursu illatas, exinde
modestè eliciant: Quæ duo, etiam ratione certitudinis, in-
ter se differre, Bulæus ignorat.

Confirmatur 3. hæc tua de infallibili vestra certitu-
dine jactantiâ, contradicit & Wineckero, qui p. 72. fate-
tur: Quod (ab ipsis) sensus Scripturæ diligenti inquisitio-
ne investigetur, quantum id quidem in Ecclesia Viatorum
quæ fallibilis est, fieri possit. Concilia jam, *Bulæe*, diligen-
tem Scripturæ interpretationem, factam ab Ecclesia, ve-
stra fallibili, cum infallibili certitudine, quam Tu dicis
vos habere. *Mirabilis res!* Duos pullos academicos in
eadem academiâ enutritos, in eodem auditorio, ab eodem theo-
logo

205

logo Professore edoctos, contra eandem materiam simul & semel petulanter insultantes, & scripta sua sub censura unius & ejusdem Decani theologici, uno & eodem tempore emittentes, tam immuni contradictione, posse se, suamq; sectam prostituere: Aut Babylon est hac academia, aut duplex in eodem Censore academico veritas, aut alterutrum discipulorum decipiendi in eodem Professore voluntas.

Confirmatur 4. Contradicit *Bulaeus* & sibi ipsi. Nam p. 57. facit duplex genus fidelium: alios esse dicit *vere fideles*; alios *hypocritas*: Utrisque denegat munus infallibiliter Scripturam interpretandi: *His*, quia hypocritae sunt; *Illis*, quia occulti, & nemini nisi soli DEO noti sunt. Quæro ergo mi *Bulae*, ad quod fidelium prædicamentum referas *Dn. D. Hoë, Höpfnerum*, & alios vestrae familiae scripturistici sensus mercurios? Aut enim hypocritae sunt, aut verè fideles! *Si illi*, quis hypocritarum commentis credet? *Si hi*, quomodo si soli DEO noti sunt, publicâ & infallibili interpretatione Scripturam elucidare possunt? Aut ergo apud vos non est infallibilis interpretatio Scripturæ; aut si est, nullus apud vos verè fidelis est: *Neutrum impugno.*

Quid in his angustijs, Tibi, *Bulae*, refugij est? Ecce, occludam tibi hac vice *asyla tua*, ut postea labore superseam: Vix enim erit ut ad fumos tuos vendendos in posterum, vel me emptorem, vel temporis, cujus jacturæ redimendæ non sufficiunt, pretium invenias.

I. Confugies ad obsoletam tuam hypothesin de claritate Scripturæ, p. 50. 51. 58. *sed frustra*: Quæro ego, num clara sit Scriptura, *ante* vel *post* declarationem? si *post*, nostram sententiam laudas; si *ante*, Psalmistæ contradicis & tibi: Illi, quia P. 118. 130. (non sermones tui, dicit, sed)

DE-

DECLARATIO sermonum tuorum illuminat. Tibi; si enim clara est ante declarationem, quæ stultitia est, quod operosa media pro ejus sensu eruendo in hoc centone tuo præscribas: urget hoc argumentum S. August. Epist. 8. ad Hieron.

II. Dices: Clara est Scriptura, licet non tota; Resp.
Ast tota peregrino & vobis non vernaculo idiomate conscripta est, quæ unica ratio (ut taceam alias obscuritatis totalis causas) tum à Brentio pro matre obscuritatis agnoscitur, tum à parte rei evincit, vos etiam in minimo apice scripturæ intelligendo opus habere multo labore, ut (ne dicam verum sensum, sed) saltem legitimam versionem habere possitis: Præterea noveris multos apud vos, *Bulæ*, coryphæos Theologos, quibus si unum textum ex Berescht propofueris, vel sola lectio Prisciani amicitiam perdet: Reliquorum qui altiùs sapiunt, (& vocabularij meo tempore ab invidis appellabantur) eruditionem, linguisticam (sive Buxtorfij, sive Drusij, sive Pistorij) ad quorum leges vester se conformat intellectus, nullibi canonizavit Spiritus sanctus: Nec ipsorum æmulationes permetterent: secundum illud: Figulus Figulum! Et Tu quidem, mi optime *Bulæ*, etiam Scripturam infallibiliter audes interpretari! Tunè hebraicæ literaturæ culmen attingisti? Nâ fallor, meo tempore Lipsiæ vix te alphabetarium nôram, & jam à discessu meo Rabinus & infallibilis scripturæ interpret factus es! sed quid cum illis, quî nec scribere nec legere valent, & tamen fidem suam ad scripturam infallibiliter examinare à vobis jubentur? Quomodo hi fidei suæ certitudinem salvabunt? Num vociferanti Prædicanti credent? sed sic fides eorum humana erit,

in prolog. contra Sottum.

erit, non divina: Aut ejus clamores ad scripturam exami-
nabunt? sed hanc ex suppositione non valent legere! Et
posito quod possint; quo modo, si Prædicantis verba in
dubium vocant, de suo judicio & sensu dubitare non pos-
sunt? *ubiq̄ miser vapulas.*

III. Dices: Legentibus, versio Lutheri clara est:
Resp. sed contra: *I. Quia* hoc non est scripturam in se le-
gere, sed scripturam, ut in aliam linguam translata. *II.*
Hic autem non sufficit sola claritas, sed & requiritur infal-
libilis notitia, quod versio sit genuina, & fontibus exquisi-
tè conformis: Id quod vestræ versioni denegatur, quæ suæ
veritatis testimonium nec à Spiritu sancto immediatè ha-
bet: nec ab Ecclesiâ Catholicâ, quæ eam damnat; nec à
plurimis Lutheri filijs, qui eam rejciunt; nec ab ipso au-
thore Luthero, qui errores à se commissos fatetur, nec à
se ipsa, ut alibi ostenditur. *III. Hoc ipsum* effugium vobis
maximè nocet: Si enim versio medium est, quo clara scri-
ptura redditur, sequitur ante hanc declarationem, quæ sic
beneficio versionis, claram non esse: *IV. Nec vestro* calcu-
lo subsistere potest hæc versionis claritas: si enim ad tol-
lendam obscuritatem, quæ nascitur ex hebraicâ & græca
linguâ, debuit scriptura transferri in linguam germani-
cam, ceu vobis notam & claram: quanta dementia est,
quod non saltem vestras contentiones hoc perspicuitatis
fulmine non tollatis, sed & ab hac versione tam clara ite-
rum provocetis ad fontes hebraicos & græcos ad indagan-
dum vestræ versionis sensum? Id quod vos infinitè facitis,
& hanc praxin inter adminicula interpretandæ scripturæ
numeratis, ut & *Bulaeus* loc. cit. Nunquid, ô lippi, claræ &
perspicuæ versionis sensum indagabitis, ex obscuris græ-
corum

*vide Coch-
leum in a-
ctis Luth-
eri.*

corum & hebraicorum Idiotismorum latebris, ad quorū caliginem discutiendam opus erat scripturam transferre in linguam vernaculam? sed si vernaculæ versionis sensum attingere non valetis, quomodo hebraici sermonis abyta penetrabitis? ubiq; impingitis.

IV. Dices: Vos tamen sine intellectu in Scripturâ interpretandâ procedere non posse: *Resp.* Intellectus concurrat, non ut motivum, in quod assensus fidei formaliter resolvitur, sed ut causa physica & potentia vitalis, sine qua actus ejus elici non potest: sicut, qui alteri credit, Romam esse urbem, debet audire, vel adhibere aures, non quod aures aut auditus ejus sit ratio & motivum quare credat Romam esse urbem, sed quod sit conditio & principium efficiens, sine quo alterum loquentem audire nequeat.

V. Dices: Media quæ ad interpretandam Scripturam adhibeatis, esse divina, & Spir: S. effata: *Resp.* Esto! Sed tamen eorum applicatio est vestra: si autem hîc erraveritis, num verum scripturæ sensum vos inventuros putabitis? Nondum capitis, quid velim? *Do exemplum:* Est tyro athleticæ artis, expressurus magistri sui strategemata, instructus ad hoc obsequentissimo gladio, tamen ab antagonistâ vapulat; quæ causa? Non ars magistri, quam exprimere debebat: non gladius, qui paratus & obsequens erat, sed in discipulo gladij & artis applicatio.

VI. Iratus excipies: Cur nostram incertitudinem nobis exprobratis, ipsi incertæ fidei, utpote in homine Papa fundatæ? sic *Bulaus* p. 52. & 76. *Resp.* Non evades hâc cholera tua laqueos argumenti: Frange prius nucem propositam, deinde, si pruris aheneos Catholicæ veritatis muros petere, pete, & respondebitur: Distinctæ quæstiones

D

di-

distinctas poscunt actiones : Nec etiam si de commisso suspecti amoris excessu Lipsiæ accusareris, suspicionem amolieris, vocando complices in ejusdem societatem, culpæ.

VII. Ultimò ad huc unicum tentabis: Vos vestram infallibilitatem fidei salvare per auctoritatem divinam! Resp. Frustra: Nam requiritur, ut eadem auctoritas divina infallibiliter homini applicetur, ut Heb. 11. 1. & Matth. 18. 17. Vos autem quia infallibilem Ecclesiæ applicationem non admittitis, applicatis eam vobis vestro discursu, eoque fallibili, ut evici

VIII. Dices ut supponis p. 49. & 69. hunc discursum posse infallibilem fidem generare: Resp. sed hic non argumentis, verum virgis refutari meretur tanta A.A. & Phil: Magistri ignorantia, qui nondum didicit, assensum fidei divinæ & assensum conclusionis theologicæ essentialiter, & etiam in ratione certitudinis utrumque consequentis, inter se differre: Apage cum his Philosophis.

Ex dictis porismaticè deduco:

Assensus qui fertur in objectum, ob revelationem divinam, fallibili & humano tantum discursu applicatam, non est assensus fidei divinæ.

Talis est assensus Lutheranorum, quo feruntur in articulos sue fidei.

Ergo eorum assensus non est assensus fidei divinæ, per cons: nihil credunt fide divinâ, neq; Deum neq; diabolum; neq; cælum neq; gebennam: neq; Christum mortuum esse, neq; resurrexisse; Id demonstrandum erat.

Major desumitur ex intimâ & essentiali ratione assensus fidei divinæ, & fundatur in illo Heb. 11. 1. & Matth. 18. 17.

thai

thai 18. 17. *Minor* haftenus evicta est: Conclusionem
ergo si deglutire poterunt Lutherari, *Strutiocamelis du-*
viores sunt.

C O N C L U S I O.

HÆc pauca, *Bulæ*, ad tuam contra me investivam:
dabis veniam, quod non citius responderim: *Tibi*
id imputabis, & tuo *Domino D. Henrico, Tibi*, qui
quod ante biennium contra edidisti, ad me ne veniret
permisisti; *Illi*, qui etiam ante duos menses à me literis ro-
gatus, mittere tamen recusat: Causam tergiversandi non
assequor; *Gratias* habeas bono cuidam viro, qui paucis ab
hinc diebus ex Silesiâ me phlegmatum tuorum copiam
habere fecit; cujus de tuis ineptijs judiciû literis commu-
nicatum, in remedium vanæ gloriæ, quæ tibi suboriri
posset, huc apponerem: sed parco tibi:

Vale & emendare.

Handwritten text at the top of the page, likely bleed-through from the reverse side.

COXCLVSO

Main body of handwritten text, appearing as bleed-through from the reverse side of the page.

